

05

A

955





Q. B. V. D.

152

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

CHRISTO

QUÆSTIONIBUS XXXI. XXXII. XXXIII.

CATECHISMI PALATINI

OPPOSITA

ATQVE

SUB MODERAMINE SPIRITUS SANCTI

ad placidum Eruditorum examen

PROPOSITA

PRÆSIDE

V I R O

MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNES MEISNERO,

SS. Theol. D. & in Illustr. Albina Prof. P. Fami-

geratissimo, Templi Cathedralis Præposito vigilan-

tissimo, Collegii Theologici Seniore venerando

& Alumnorum Electoralium Ephoro

gravissimo.

In Auditorio Majori.

DIE V. JUNII. A. O. R. MDCLXII.

A

M. MICHAELE HENZEGHEN

WITTEBERGENSI SAXONE.

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL Wende.



V I R I S
PLURIMUM REVERENDIS, AMPLISSIMIS,
ATQUE EXCELLENTISSIMIS,

QUI
ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO

DN. JOHANNI,

PRINCIPI ANHALTINO
A CONCIONIBUS AULICIS ET CONFES-
SIONIBUS SACRIS SERVESTÆ EST,

DN. JOHANNI DÜRRIO
SS. THEOL. D. CELEBERRIMO.

DN. JOHANNI DEUTZSCH-
MANN, SS. THEOL. D. E JUSDEMQUE IN CE-
LEBERRIMA ACADEMIA WITTEBERGENSI PROF. P. EXTRA-
ORD. CELEBERRIMO, UT ET VENERANDI COLLEGII
THEOLOGICI ASSESSORI GRAVISSIMO.

DN. BALTHASARI BÖBELIO,
SS. THEOL. D. EIUSDEMQUE APUD ARGENTORATENS.
PROF. P. EXTRAORD. MERITISSIMO, AD D. PETRI ECCLE-
SIAS TÆ VIGILANTISSIMO, ALUMNOR. AD D. WIL-
HELMI EPHORO GRAVISSIMO.

NEC NON

05 A 955 V I R O
AMPLISSIMO ATQUE SPECTATISSIMO,

DN. JOHANNI LUNGEN/
FISCI REIP. WITTEBERGENSIS, AC REDITUM TEMPLI
PAROCHIALIS PRÆFECTO PIO AC FIDELI.

PA

PATRONIS AC PROMOTORIBUS MEIS
MAXIMIS,

PRÆCEPTORIBUS FILIALI OBSE QUO COLENDIS,

FAUTORIBUS ÆTERNUM VENERANDIS,

HOCCE SPECIMINE ACADEMICO

OBSERVANTIAM DEBITAM CONTESTARI,

GRATAM PRO PATERNA INFORMATIONE MENTEN DECLARARE,

AMOREM, QUO ME SEMPER PROSECUTI SUNT, MA-
GIS CONFIRMARE,

ANIMUM COMMODIS IPSORUM STUDENTEM DEMONSTRARE

AC IPSIS UNIVERSIS QUÆ IPSORUM FAMILIIS FAUSTA
QUÆQUE APPRECARI

VOLUIT

IPSORUM TOTUS

M. MICHAEL HENZSCHE
RESPONDENS.

Tam Servatoris magnum est &
nobile nomen,
Ut nequeat docto Tullius o-
re loqui.

Nobis, qui Christi de nomine
nomen habemus,

Nec quicquam est verbis, sed
modo rebus opus.

Tuq; etiam, HENTZSCHELI, verbis
defendis honorem
Christi, sed factis sæpè tuere
tuis.

JOHANNES MEISNERUS D.

EXAMEN CATECHISMI PALATINI,

DISPUTATIO XXIII.

PRÆSIDE

JOHANNE MEISNERO, D. & Prof. P.

RESPONDENTE

M. MICHAELE HENTZSCHELIO WITTEBER-
GENSI SAXONE.

I.

Verum atq; unicum Salvatorem Filium DEI esse, nec præ-
ter eum alium quærendum & admittendū superioribus
quæstionibus tum ex nomine, tum re ipsa ostensum est:
Nomen enim Jesus Salvatorem significat, quo etsi alii quoque
insigniti fuerint, illis tamen casu, aut quod Jesum, verum DEI fi-
lium adumbrarunt, Christo autem consilio, eoq; non humano,
sed divino inditum est, quòd homines è potestate Satanæ ere-
ptos in pristinam libertatem asserturus & æternum servaturus
esset: id autem solus ille præstitit. Sed nec res ipsa patitur plu-
res dari aut credi salvatores: Sicut enim conceptus de re qua-
piam falsus non verus est, si ei addatur quicquam, vel dematur,
quo addito vel dempto natura ejus destruitur, ut si DEUM
mortalem dicas, aut providentiam rerum creatarum non ha-
bere, ita nec vera ac salvifica de Salvatore fides esse potest, si
alios ei Salvatores ad latus ponas & in eos salutis tuæ fiduciam
colloces, falsitatem enim admixtam habet. Nunc autem de al-
tero nomine, quod est CHRISTUS, videndum). *Quorum nomi-
num alterum est proprium, quod ab Angelo impositum est, alterum
accidens, quod ab unctiōe convenit, ut Tertullianus contra Pra-
xean cap. xxviii. loquitur. Et Lactant. lib. iv. cap. vii. Christus
non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis & regni*

QUÆSTIO XXXI.

*Quare appellatur Christus, hoc est, unctus? Resp.
Quod à Patre ordinatus, & Spiritu sancto unctus sit summus
Prophe-*

*Habebitur
die
Junij 1662
in Collegio
Majori.*

Propheta & doctor, qui nobis arcanū consilium & omnē voluntatem Patris de redemptione nostri patefecit: & summus Pontifex, qui nos unico Sacrificio sui corporis redemit, assiduoq; pro nobis apud Patrem intercedit: & rex, qui nos suo verbo & Spiritu gubernat, & partam nobis salutem tuetur ac conservat.

II. Nomen *Χριστός* sine omni dubio unctum significat, deductum à voce *Χρίω*, quod est ungo; Unde latinè Christus, non Chrestus scribendum, & inde Christiani, non Chrestiani appellandi, quod gentiles olim faciebant, ut ex Sueronio in Claudio cap. xxv. Luciano aliisque discitur: quos Christiani nonnulli imitati argumentum inde ad retundendum gentilium furorem, quo adversus Christianos utebantur, petebant, quod præ aliis Justinus Martyr fecit, cum Apologiam ad Antoninum Imper. quæ secundo loco ponitur, *Χριστός γὰρ τοι ἰσθὶ ἐχόμενος*, inquit, cum optimi simus, Christiani tamen esse accusamur, τὸ δὲ Χριστὸν μισεῖν ἔστι δίκαιον, non decet verò odisse id, quod optimum est. Et Tertullian. Apol. cap. iii. Nunc igitur si nominis odium est, quis nominum reatus? Quæ accusatio vocabulorum? nisi si aut barbarum sonat aliquod (Junius legit aliquà) vox nominis, aut infaustum, aut maledictum, aut impudicum: Christianus verò, quantum interpretatio est, de unctioe deducitur. Sed & cum perperam Chrestianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate vel benignitate compositum est (Junius impositum est.) Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. Quæ tamen ratio nominis allusio potius est, propter affinitatem vocum, quàm vera explicatio. Undè longè aliter Lactant. lib. iv. Inst. div. cap. vii. Exponenda, inquit, hujus nominis ratio propter ignorantium errorem, qui eum, immutatâ literâ, Chrestum solent dicere. --- Ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est, unctum, qui Hebraicè Messias dicitur. Quam explicationem ipsi Scriptores N. T. suppeditant, qui vocem Messias apud veteres usitatam per Christum seu unctum vertunt, ut cum Andreas fratri suo Simoni, Invenimus Messiam, ait, quod est interpretatum, Christus,

*Christus, Joh. i. 41. Et mulier Samaritana: Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus, cap. iv. 25. Nomen autem primus David, ut videtur, ipsi imposuit, i. Sam. xxiii. 1. Ps. ii. 2. Cum enim antea semen mulieris, Siloh, Propheta magnus, stella Jacob & Filius Davidis diceretur, postea à Davide, & Dan. ix. 21. 26. Messias seu unctus vocatus fuit. Imò ubique Scriptura Veteris Testamenti de venturo Redemptore loquitur, ibi Chaldæi interpretes fermè semper nomen Messiaë exprimere solent. Ut cum Gen. xlix. 10. *Donec veniat Siloh: omnes tres habent Messias.* Ita cum Num. xxiv. 17. dicitur: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, Ibi Onkelos: Consurget rex de Jacob, & ungetur Messias de Israel.* Quod habetur Esa. lii. 13. *Ecce intelliget servus meus, id Jonathan exponit, Servus meus Messias.* Et Jerem. xxxiii. 5. *Suscitabo David germen justum, idem reddidit, Excitabo Messiam.* Item Mich. v. 2. *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, exponit, Ex te coram me prodibit Messias.* Propter unctionem ergo filius Dei Messiaë & Christi nomine tam in V. quàm Novo Testamento rectissimè indigitatur, quòd, ut Propheta, Reges & Sacerdotes olim muneri quisque suo per unctionem inaugurabantur, ita ipse quoq; ad officia illa omnia obeunda destinatus, unctus & donis gratiisque, ad consequendum finem supernaturalem necessariis divinitus instructus fuit, & quidem *ultra consortes suos, Psal. xlv. 8. Hebr. i. 19.* Quanto enim ipse excellentior erat cæteris, qui uncti aliquando fuerunt, Dominus nempe servis, Dei filius & verus ac naturalis Deus hominibus; quantò item sublimiorem finem sibi propositum habuit, redemptionem totius generis humani, tantò etiam uberiorem & excellentiorem unctionem sortitus est.*

III. Sed ante omnia tamen quid unctio illa sit, & quid eam denotetur, dispiciendum. Ac primò quidem, sicut visibile & typicum oleum, quo ex Hebræorum instituto olim Sacerdotes ac Reges, cum certis functionibus ac dignitatibus ad-moverentur, perfusi sunt, non intelligitur, ita nec externa & aspectabilis unctio hinc locum habet, quam Tertullianus

lib. contra Marcion. cap. xv. suo quodam consilio, ut apparet, ductus excogitavit, & corporalem, imò ipsam *corporis passionem* fuisse docuit, ut tantò rectiùs Christum corpus habuisse adversus Marcionitarum hæresin probare posset, quod multis cùm alii, tùm præcipuè Eusebius Cæsariensis lib. i. Hist. Eccles. cap. iv. confutavit, ubi tam Sacerdotes & Prophetas, quàm reges apud Hebræos ungi solitos scribit, ex quibus etiam aliquos nominatim recenset, quos figuras quasdam divini cœlestisq; verbi illius Filii DEI fuisse ait, ipso solo *summo totius orbis Sacerdote, solo creaturarum omnium rege, solo inter Prophetas patris Archipropheta existente*: *χρίσμα* verò seu unguentum, unde Christi appellatio profluxit, non ex corporeis rebus confectum fuisse, sed ipso divino Spiritu constare, utpote Deo conveniens, quod participatione ingenitæ ac paternæ divinitatis acceperit. Unde concludit, præstanti quadam & eximia ratione Christi vocabulum illi competere. Et quanquam unctio-nem illam spirituales divinitati τὸ λόγος, non assumptæ carni imputet, quod & plures alii fecerunt, quid tamen de eo sentiendum sit, paulò post dicetur. Interim, ut non erat ex numero veterum Prophetarum & Sacerdotum Leviticorum, qui venturum Messiam præfigurabant, & adventum ejus præ-nunciabant, sed ipse potiùs ab illis, figuris & typis adumbrabatur, ita nec re quapiam typicâ & externâ opus habebat, quæ ne quidem adhiberi potuit; cùm ille in carne præsentem se exhiberet, oleo illo sancto, ex certis aromatibus confecto, de quo Exod. xxx. 32. legitur, jamdudum amisso. Quare prorsus spirituales & à materiâ terrena segregatam tùm unctio-nem tùm unguentum ipsum, quo perfusus est, fuisse oportet, quod Petrus Apostolus de ipso Spiritu sancto exponit, cum Act. x. 38. Jesum Nazarenum unctum à DEO ait *Spiritu sancto & virtute*. Et Christus ipse Luc. iv. 8. ubi Esaiæ vaticinium impletum esse contendit, quo cap. lxi. Scriptum legitur: *Spiritus Domini super me, eò quod unxit me*. DEUS igitur Christum Spiritu sancto, qui oleum lætitiæ appellatur, & invisibilibus ejus donis unxit, quemadmodum id luculenter Ps. xlv. 8. explicatur.

iv. Vete-

IV. Veteres nonnulli ad æternam generationem retulerunt, & non tantum appellationem Christi, verumetiam eam significatam unctionem ab omni æternitate, etiam antequam cum humana natura jungeretur, ei convenisse contendunt, ex quibus Justinus Martyr Apol. 1. ita eum appellatum tradit. *eo quod unctus est, & per ipsum Deus omnia ordinavit seu creavit.* Et Dionysius Alexandrinus Epistolâ Synodicâ ad Paulum Samosatenum T. II. Bibl. PP. *Christus, ait, non solo nomine, sed reverâ ante secula existens verbum, est Christus Jesus. --- Non enim sortitò unctionem est adeptus, ut nos eam adventitiam sortiti sumus, cum antea Christi minimè vocaremur.* At ille semper *Christus Dominus prædicatur, ut qui est reverâ. Nisi enim propriè, ac verè ipse Christus esset, supervacaneè Paulus scriberet dicens: Israel hibeat ex spiritali consequente Petra, quam petram ait fuisse Christum.* Ubi ille manifestò in Veteri Testamento & ante incarnationem unctum fuisse, & Christum appellatum esse contendit, idq; Pauli testimonio confirmat, qui Christum olim Israelitis per desertum iter habentibus affuisse dicit. Idem autem fermè cum illis Palatini sentiunt, aut certè non longè abeunt, dum unctionem per prædestinationem explicant, quâ Christus à Patre ab æterno mediator constitutus & ad munus illud suo tempore obeundum veluti præparatus fuerit. Ideò enim sic appellatum ajunt, *quod à Patre sit ordinatus, hoc est, quemadmodum Lubertus explicat, quia ab æterno constitutus est à patre mediator.* Unde Pareus in Catech. duas unctionis hujus partes, & Christum duobus modis unctum esse docet 1. *quia ordinatus est ad officium mediatoris divinitus, voluntate Patris.* 2. *quia natura ipsius humana donis Spiritus sancti est ornata sine mensura.* Et Polan. comm. in Dan. ix. unctionem definit, *quod sit ordinatio hujus personæ ad officium mediatoris inter Deum & electos cum collatione plenitudinis donorum Spiritus sancti.* Nec aliter Wendelin. Exercit. LVII. Altingus, Perkinsus, & cæteri fermè omnes.

V. Verumenimverò, sicut nomen Christi non alterutram naturam seorsim, sive divinam, sive humanam, sed utramque

simul & verbum incarnatum complexu suo involvit, quod etiam Theodoretus lib. v. adv. hæ. cap. xi. inculcat; *Qui dixerit, inquit, Deum verbum, simplicem expressit substantiam, qui autem appellat Christum, naturarum duarum conjunctionem, indicat*: Ita & unctio quoque non soli homini, tanquam à verbi personâ disjuncto, ut ex Nestorii hæresi consequens erat, nec soli DEO verbo, sed utrique convenit, DEO quidem, qui unxit, homini verò, qui unctus est, quòd accuratè, ut solet, Athanasius lib. de salutari Christi adventu adversus Arianos declarat, ubi ita loquitur: *Propterea & unctio facta est, non tanquam DEUS unctio opus haberet, nec tanquam unctio sine DEO facta sit, sed ut DEUS quidem unctio, adhibuerit, hanc verò in unctiois capaci corpore receperit*. Ante incarnationem verò & ex omni æternitate, ubi ineffabilis illa generatio filii DEI & prædestinatio ad munus mediatorium facta est, humana natura non extitit, unde nec tunc & antequam homo fieret, inungi potuit. Et sanè Scriptura nunquam de nudo & citra carnis consortium spectato Filio Dei loquitur, cum eum Spiritu sancto, velut oleo quodam, perfusum dicit, ut ex illis locis Psal. xlv. 8. Hæbr. i. 9. Esa. lxi. i. Luc. iv. 18. Dan. ix. 9. Act. iv. 20. & cap. x. 38. & his geminis aliis liquet, nec æternæ, & ante susceptam carnem factæ, sed temporalis unctiois mentionem facit, & Christum in tempore unctioem illam & gratiam accepisse docet. Equidem ab æterno & antequam jacerentur mundi fundamenta decretam, & multò ante prædictam ac præfiguratam fuisse constat, quin etiam vim suam retrò ad patres diu ante vitâ functos, ut ipsum officium mediatorium, extendisse, quam ob causam quoque idem *Christus heri & hodie* dicitur Hebr. xiii. 8. quem Israëlitæ in deserto tentarunt i. Cor. x. i. ipsa tamen unctio tùm demum re ipsa contigit, cum verbum illud æternum patris seu Dei filius unigenitus caro factus est, & Christus homo præ omnibus aliis hominibus tùm humanas, tùm præcipuè divinas ἐξοχὰς accepit. Unde rectè quoque hac in parte Rivet. in Ps. xlv. *Et si hoc verum sit, inquit, prædestinatam fuisse hanc unctioem, aut*
Christum

*Christum ad illam fuisse prædestinatum, sed prædestinatio unctio-
nis non est ipsa unctio.* Hæc ille ad sociorum suorum sententiam
reponit.

VI. Quanquam autem unctio illa facta fuerit in ipsa verbi
DEI incarnatione & per eam, & humana Christi natura gra-
tiam illam tum acceperit, cum in unitatem personæ Filii DEI
assumpta est, ipsa illa tamen incarnatio unctio non est, nec hæc
illa, si propriè loqui velimus, dici potest, quod tamen Greg.
Nazianz. Orat. v. & xxxvi. Cyrillo lib. de Trinit. cap. xxii.
Damaſc. lib. iii. de Orth. Fide cap. iii. ac pluribus aliis placet.
Nam Scriptura sacra, quæ unica de rebus Theologicis loquendi
& judicandi norma est, nusquam eam hoc nomine indigitavit,
ac præterea discrimen aliquod inter incarnationem seu unio-
nem duarum naturarum, & eam secutam unctioem statuen-
dum est. Tantum enim inter duo illa interest, quantum inter
causam & effectum, antecedens & consequens interesse solet.
Nam statim ac DEUS humanam naturam in unitatem personæ
sue assumpsit, ipsam illam quoq; ita sanctificavit, & aliis donis
supernaturalibus ac divinis instruxit, ut tota plenitudo Deita-
tis in ea habitare dicatur Coll. ii. 9. Ex unione ergò personali
ineffabilis illa unctio resultat.

VII. Cæterum Palatini quoque hac in parte consentire vi-
dentur, dum *Christum à Patre ordinatum, ac præterea à Spiritu
sancto unctum*, hoc est, necessariis ad munus suum obeundum
donis instructum fuisse dicunt, ut sit Propheta, Pontifex, &
rex noster: Attingius etiam *donorum ad id necessariorum colla-
tionem unctioem specialiter sic dictam* esse contendit, in eoa-
men non levis controversia ac difficultas superest, tum qualia
& quanta illa dona sint, finitane an infinita? tum utrum dona
illa acceperit secundum humanam naturam tantum, an simul
etiam divinam? tum denique quo tempore illa communica-
tio facta sit? utrobique enim Palatini, & qui eos sequuntur,
diversum à nobis sentiunt, quare illud adhuc explicandum est.
Ac primò quidem finita tantum & creata dona esse, quæ in
unctioem accepit, omnes docent, nec alia in eo statui posse
dicunt,

dicunt, qui ut homo tantum, seu secundum solam humanam naturam accepit; ut tamen hæc finita tantum, non infinita est, & manet, ita nec aliorum, nisi finitorum donorum capacem esse potuisse, infinita autem & absque mensurâ dici, non sui, sed nostri respectu. Ita enim disertis verbis Alting. in Catech. p. 171. *Etsi absolutè & in se dona illa finita fuerunt, sicut & ipsa Christi humana natura finita est, manet in æternum, nostri tamen respectu sunt absque mensura Psal. 45. 8. Job. 3. 34. ut qui ex eorum plenitudine accipimus gratiam pro gratia Job. 1. 10. Alsted. Theol. polem. p. 548. Humana Christi natura in primo momento unionis accepit dona longè maxima, multò excellentiora, quam ut ulla creatura capere possit, sed tamen non nisi finita.* Wendelinus quoque Exerc. LVII. §. 9. *Charismata, quamvis maxima, non tamen nisi creata & finita in humanam Christi naturam sunt collata.* Ubi etiam hanc Christo prærogativam præ aliis sanctis omnibus vindicat: *Collationem charismatum longè excellentiorum, quam in unam aliam creaturam cadunt vel possunt cadere, quo respectu etiam ultra consortes suos unctum dici & accepisse Spiritum non ad mensuram.* Et iterum: *Quasi verò scientia humane nature communicata non possit excedere mensuram aliorum donorum humanorum, nisi sit finita & increata. Quæ unquam creatura, inquit, præter humanam Christi naturam, ad eam venit donorum creatorum auxiliò, ut nullâ ratione ulla fieri potuerit accessio?* Ita quoque cæteri ferè omnes, quos nunc allegare nihil attinet, sed qui in oppugnandâ catholicâ & cœlesti veritate eâ in re cum Pontificiis amicè invicem conspirant.

VIII. Ubi tamen ante omnia observandum, omninò humanam Christi naturam habuisse naturales suas perfectiones, quibus ut verus homo carere non potuit; quo pacto etiam naturaliter sanctus & *ἀσώματος* erat, quod nulli alii competit; & præter illas alias etiam dotes supernaturales, quæ ab aliis dona habitualia vocantur, & reliquorum hominum, ipsius etiam Adami ante lapsum, imò & Angelorum quoque perfectiones multis modis excedunt. Et quanquam ea etiam ab ipso initio conceptionis & per unionem acceperit, quia ta-

men

men pro modulo ætatis, staturæ ac temporis crescere & augeri potuerunt, ideò non nisi finita & creata sunt. Non tantùm autem finitas illas & creatas, sed etiam prorsus divinas & increatas perfectiones habuit, idq; iterum ut homo, seu secundum humanam naturam, atque hac ratione duplici quasi oleo, si ita loqui licet, inunctus fuit, duplicem quoque sanctitatem & duplicia dona, finita pariter ac infinita, etiam in humana naturâ accepit. Inter quæ duo hoc interest, quod quidem utraque in primo conceptionis momento & per unionem hypostaticam accepit, infinita tamen primariò & quasi immediate, finita autem secundariò, ut tanquam consecutaria quædam ex unione & donis increatis resultarint: Hæc personaliter, hæc subjective & accidentaliter ei conveniunt. Quod autem præter illas perfectiones finitas increata quoque & prorsus divina dona habuerit, inde cum primis probatur, quod in tantam sublimitatem evehctus est, ut qui antea in solâ divinitate, & ut DEUS tantum adorabatur, deinceps quoque ut homo simul adoretur. Donatum enim ipsi est *nomen supra omne nomen, ut ad nomen Jesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & inferorum*, ut Apostolus ait Phil. II. 9. 10. *Data item est ei omnis potestas in cœlo & in terra*, Matth. XXVIII. 18. data denique est *tota plenitudo Deitatis, quæ in ipso nunc corporaliter inhabitat*, Col. II. 9. Nomen a. quod est supra omne nomen, & potestas omnis in cœlo pariter ac terrâ, non creatum aut finitum quippiam est, sicut nec ipsa divinitas, sed virtutem illam divinam, increatam & infinitam perfectionem in operando denotat. Idem quoque inde adstruitur, quod Psal. XLV. 8. unctus dicitur præ consortibus suis, quod Apostolus Hebr. I. 9. ita explicat, *ὡδὲ τῶν μετόχων σου*, ultra & supra consortes tuos, & Johannes Baptista, Joh. III. 34. *ὅτι ἐκ μέτρων*, non ad mensuram dat DEUS Spiritum. Ubi unctio Christi cum aliorum, qui consortes vocantur, unctio comparatur, non secundum magis & minus, & ita, ut specie quidem omnium eadem sit, gradibus autem differat: Cum enim ceteri omnes dona Spiritûs sancti ad mensuram, hoc est, dona finita & modo finito acci-

Zz

pian,

piant, solus Christus donis increatis & infinitis præditus fuit, & quidem non ad mensuram, sed ita, ut cæterorum unctiōem multis modis tam extensivè sive secundum numerum & quantitatem, quàm intensivè & ratione graduum superarit. Unde à participatione hujus unctiōis & ipsius quoque olei, sine quo unctio perfici non potest, non homines tantum, sed ipsi etiam Angeli, nobilissimæ omniū & excellentissimæ creaturæ, excluduntur, cum Apostolus eos filio ita opponit: *Et ad Angelos quidem dicit: Ad Filium autem*, Hebr. 1. 7. 8. Ut ostendat soli filio dictum esse, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Et præfixum מ in מְחַבְּרֵי Psal. XLV. 8. *præ consortibus tuis*, ἐξοχὰς soli Christo, nec ulli alii præterea convenientes denotat, quemadmodum eadem particula quoq; ψ. 3. usurpatur: *Pulcher es præ filiis hominum*. Quod dudum Lutherus noster in glossa marginali Luc. XVIII. 14. observavit. Cùm enim ibi ita legatur: *Descendit hic (publicanus) justificatus in domum suam præ illo (Pharisæo:)* Lutherus hæc addit: *Sür jenem/das ist/ Jener ist nicht gerecht/sondern verdampft heimgangen. Ebraismus est, & negativè dicitur. Sicut Psal. 118. Es ist gut auff den HERRN vertrauen / für dem Vertrauen auff Fürsten / das ist / nicht auff Fürsten. Hoc efficit Ebraea litera Mem.* Also auch Matth. 21. *Huren und Buben werden für euch im Himmel kommen / für euch / das ist / Ihr nicht.* Qualia exempla passim non apud Hebræos tantum, sed Græcos etiam, sacros pariter ac profanos auctores occurrunt. Denique ut hæc omnia non essent, opus tamen mediationis peragere, & actionem infinitæ dignitatis & efficacitæ præstare, aut pro totius mundi peccatis perfectè & plenè justitiæ DEI satisfacere aliter non potuisset, nisi dotibus prorsus supernaturalibus divinitus instructus fuisset.

IX. Quoniam verò Messias, qui Spiritu sancto unctus memoratur, Christus Dominus, duabus naturis constat, id jam statim quæritur, quænam ambarum illarum oleo divino perfusa sit, seu an virtus illa infinita ei in tempore data sit secundum humanam naturam tantum, an verò secundum utramq;? Equidem divinitatem ipsam inunctam fuisse Calviniani omnes docent

docent, eo cum primis argumento permoti, quod cum unctio specialiter nolet donorum ad muneris mediatorii administrationem necessariorum collationem, Christus autem id exerceat, non ut homo seu secundum humanam naturam tantum, sed secundum divinam quoque, ideo & hanc unctio illa delibutam fuisse necessum sit. Inde Perkinsus in expos. Symboli: *Unctio illa Christi, inquit, secundum utramque ejus naturam facta fuit. Nam juxta quamcunque naturam mediator est, in eadem etiam est unctus. Atqui mediator est secundum naturam utramque conjunctim.* --- Ergo unctio ipsius tam ad Deitatem sese extendit, quam ad humanitatem. Et Lubbertus in Catech. *Est autem Christus secundum utramque naturam unctus, ut munus mediatoris implere posset.* Wendelinus quoque Exerc. LVII. §. 4. *Divinitati in tempore simpliciter nihil dari, falsum esse ait.* Et ita cæteri ferme omnes: solus, quod ego quidem sciam, Rivetus in Ps. XLV. non posse dona illa Christo tribui, quatenus Deus est, statuit: *Neque enim Deitati, ut ipse loquitur, aliquid accedere potest, aut in eam infundi gratia.* Hæc Rivetus, & optimè quidem, cum quibus quomodo cohæreant, quæ mox addit, æquus lector ex verbis, quæ sequuntur, ipse judicet: *Id tamen verum est, quod Orthodoxi quidam Theologi asserere non verentur, quomodo Christus secundum utramque naturam, uniuscujusque naturæ servatis proprietatibus & principiis, mediator est, id est, ut θεὸς καὶ ἄνθρωπος , sic eadem ratione secundum utramque naturam unctum esse, quatenus ea unctio pars consideratur, quæ inaugurationem aut designationem ad munus denotat.* Ubi miror doctissimum virum tam repente alium à semetipso factum esse, & quod antea ipse rectè asseruerat, nunc versa acie propriis armis oppugnare. Cum enim pagina præcedente docuisset, *prædestinationem unctio non esse ipsam unctioem*, nunc in omnia contraria discedit, & designationem seu designationem ad munus illud partem unctioem esse contendit, imò & Christum secundum utramque naturam unctum esse statuit, qui tamen eo ipse loco Christo, quatenus Deus est, nihil tribui, sed nec Deitati quicquam accedere posse rediissimè ostendit. Quicquid autem hujus rei



fit, hoc certum est, divinam Christi naturam, cum hominem assumpsit, in propria divinaq; substantiâ suâ unctiōe & perfectionibus illis divinis per seipsam non indignis, has enim aliàs ab æterno per generationem accepit, & jam tum per naturam habet ac possidet, unde nec quicquam ei in tempore, & ita quidem, ut dono illud habeat, & per id exaltetur, dari, nec ipsa, quæ omnem perfectionem per se & ab æterno habet, accipere potuit. Quod jamdudum etiam Fulgentius lib. III. ad Thrasimundum cap. XIII. observavit, & exinde falsitatem hujus dogmatis redarguit. Nam si per illud, *Unxit te Deus Deus tuus*, inquit, *divina creditur accipienda natura, in qua putatur filius à Deo unctus, eguit profectò Deus verus sanctificationis munere, priusquam homo verus idem nasceretur in carne*. Id autem absurdum esse tum ibidem pluribus docet, tum per se facile omnibus patet. Atque hinc orta est tam veterum, quam recentium Theologorum communis regula: *Quicquid Christo in tempore datum, id ei secundum humanam naturam datum est*. Accedit, quod eo pacto filius inferior esset ipso Spiritu sancto, etiam secundum divinam naturam: qui enim eo modo ungit, hoc est, præstantissima illa dona, per quæ in meliorem statum evehatur, largitur, præstantior utique eo est, qui ungitur, & perfectiones illas accipit, quod ipsum etiam de Patre consequens foret. Denique divina Christi natura ipsa quoq; unxit humanam, & in eam totam Spiritûs & gratiæ plenitudinem, velut oleum quoddam, effudit, non minùs ac Pater & Spiritus sanctus, quomodo ergò eâ ratione à semetipsa unctâ, & perfectionibus divinis exornata rectè dici potest?

x. Cæterum tam secundum divinam, quam humanam naturam Salvatorem ac Mediatorem nostrum esse, nullum est dubium, unde etiam virtute infinitâ, quâ pro totius generis humani peccatis satisfaceret, in utraque naturâ, seu ut homo pariter ac Deus est, præditum fuisse oportet. Id interim quaeritur, ubi & à quo divina natura, etiam quatenus ad opus mediationis peragendum concurrat, vim illam & virtutem infinitam acceperit? Si respondeatur, in tempore & per unctiōnem,

nem; Id verò divinæ naturæ & majestati adeò contrarium est, ut nihil possit esse magis: Hæc enim tam essentiam, quam proprietates divinas ab æterno à patre per generationem accepit, & in tantam sublimitatem semel collocata est, ut in tempore ei dari aut accedere nihil possit. Unde cum hæc quoque opera redemptionis, mediationis & salvationis præstitit, propria sibi & essentiali virtute egit, sicut contra natura humana, cum æquè ac illa ad opera illa peragenda adhibetur, id non facit ex se, sed virtute aliena & à natura divinâ in unctiōe illa per gratiam & ex singulari beneficio communicata. Quare etsi utraque natura, Deus pariter ac homo, dotibus supernaturalibus instructa ad idem opus mediatorium efficiendum suo modo concurrat, hoc tamen interest, partim quod divina natura sit causa principalis, humana verò quasi instrumentalis, sicut in miraculis Christi fiebat, partim, quod vis illa divinæ naturæ propria est, quæ verò in humana natura refidet, quantacumque tandem illa est, à persona divina dimanavit.

XI. Quod ut tantò rectius intelligatur, illud adhuc explicandum est, quandonam unctiōe illa & Spiritûs sancti abundantia humanitas Christi inundata fuerit. Non defuerunt autem, qui ante assumptam carnem id factum esse dicunt. Inter quos Origenes *ante incarnationem ex virgine animam unitam esse Deo verbo, & ex tunc vocatum esse Christum* statuit, quem admodum Damasc. lib. iv. de O. F. c. vi. refert, quod ex alio ejus errore transumptum videtur, quo docuit, *Animas hominum non tunc à Deo creari, cum in corpora nostra infunduntur, sed diu antea in cælo existere, ubi etiam peccent, & pro peccatis admissi genere in terram hanc & corpora nostra tanquam in carcerem à Deo supplicij causa mitti & detrudi.* Quem non tantum Justinianus Imperator publicis edictis, Dionysius Alexandrinus, Hieronymus, Epiphanius, Cyrillus Alexandrinus, & ille, quem supra adduxi, Damascenus exploferunt, sed ipsa etiam Synodus Oecumenica Constantinopolitana II. damnavit. Et quanquam Hieronymus quoque serm. de assumpt. Mariæ Virginis ad Paullam & Eustochium simile quid, hoc est, ante in-

effabilem cum carne unionem Christum in sacris literis appellatum tradat, quod ex I. Cor. x. 9. Ephes. i. 3. aliisque locis adstruit, id tamen ita intelligendum esse idem monet, tum ut indicetur non duas, sed unam personam & eandem quidem esse post incarnationem, quæ ante ipsam fuerat, tum ut ostendatur, diu ante, atque adeo ex omni æternitate unctiorem à DEO prævisam & determinatam fuisse. Et de priori quidem causa ita loquitur: *Non erat cum eis DEus alienus, unde nec nobiscum DEus recens, quia unus idemque est, qui & eorum ductor fuit, & noster per passionem carnis suæ redemptor, unus siquidem suæ in carne, unus in Sacramento, atque unus in Spiritu.* De altera verò ita pergit: *Quod si tibi novum videtur, quod pro te hominem assumpsit, noveris, quod hoc semper cum eo & in ejus consilio fuit, ut sic fieret, & nunc, quando plenitudo temporis venit, id factum est, quod in Christo semper factum fuit.* Quomodo verò Calviniani & ipsi quoque Palatini eadem hac de re doceant, & unctiorem ad divinam naturam & tempora ante incarnationem peractam referant, supra dictum est.

XII. Alii ergò in Baptismo, quo ab Johanne tinctus & Spiritus sanctus sub columbæ specie cœlitus in eum demissus est, id evenisse dicunt, inter quos etiam Rivetus ipse compareret, qui comm. in Ps. XLV. ita ea de re scribit: *Hinc est, quod maxima pars interpretum unctiorem illam refert ad visibilem illum Spiritus sancti descensum in Jordane, cum Christus baptizaretur à Johanne, tunc enim Christus unctus fuit, & velut impulsus, ut ea perageret, quæ de ipso prædicta erant.* Hunc sensum confirmat ipse Dominus, Luc. 4. 13. ubi de loco Esaiæ agens in Synagoga Nazarethana, ubi scriptum erat, *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus misit me: cepit hæc dicere, Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Quod etiam Petrus aperte innuebat Act. 10. 37. *Vos scitis, inquit, quod factum est verbum, incipiens à Galilea post baptismum, quod prædicavit Johannes, Jesum à Nazareth, quomodo unxit eum DEus Spiritu sancto & virtute.* Hæc Rivetus, qui statim subjicit: *Id tamen etiam notant, Christum quidem in utero matris fuisse unctum,*

unctum & ibi Messiam, id est, Christum constitutum; quæ vox unctum sonat, sed tunc publico testimonio declaratum fuisse unctum, quod aperte docebat Spiritus sanctus missus in columbæ specie, & vox patris à multis audita, hic est filius meus dilectus. Ubi locum habet hæc regula: In Scriptura multa dici fieri, cum facta esse declarantur. Equidem Nestorius & interpretes nonnulli id ita explicare solent, cæteri tamen ferè omnes non tunc demum cum in Jordane baptisatus est, sed quamprimum filius DEI homo factus, & hominem unctione dignatum esse docent. Gregorius Naz. Orat. iv. de Theol. Nos filium & verbum DEI & genitum & vocatum Christum dicimus, ex quo in sanctæ virginis utero conceptus est, & caro incommutabiliter factus est & unita est caro divinitati: unctio enim ipsa ad humanitatem pertinet. Cyrill. lib. ad Reginas: Quando verbum caro factum est, tunc & ipsum nominatum esse dicimus Christum Jesum, quia unctus est oleo letitiæ, id est Spiritu sancto à Deo Patre, & hac quoq; causâ Christus nominatur. Hæc illi apud Damascenum loco adducto, & ita passim cæteri; nam plures allegare nihil nunc attinet.

XIII. Ut autem brevibus rem totam expediamus, ita credimus & profitemur, tribus quasi vicibus Christum oleo perfusum fuisse, primo in ipsa verbi incarnatione & per eam: Eodem enim instanti, quo in utero virginis conceptus & homo natus est, simultantò præstantior Angelis factus est, quantò excellentius nomen præ illis sortitus est, & tale nomen quidem, quod est supra omne nomen, ut ad nomen Jesu flectat se genu cælestium, terrestrium & inferorum. Sicut ergò tum primo carnem seu humanam naturam in unitatem personæ suæ assumpsit, & homini primo datum nomen est, ita etiam sapientiam, potentiam & cætera dona omnia, tanquam ex copiosissimo fonte inde accepit. Deinde verò idem quoque contigit, cum à Johanne baptisatus est, & aperto cælo delapsus in eum Spiritus sanctus: quanquam enim plenam & absolutam in omnia potestatem nactus sit eo ipso, quo conceptus est, momento, tum tamen idem etiam factum rectè dicitur, cum quis & quantus esset, innotuit, quæ manifestatio facta est in baptismo,

baptismo, cum ad munus suum, seu functionem, quam mox auspicatorum erat, inauguraretur, quo sensu Hieronymus in comm. ad Esa lxi. dictum illud Luc. iv. exponit. Tandem plenarium ejus usum & exercitium tum accepit, quando ex mortuis resurrexit, in coelos ascendit, & ad dextram DEI collocatus Apostolos suos ad disseminandum toto orbe Evangelium cum multis signis & prodigiis emisit, & mundum universum ad fidem in nomen suum convertit. Tum enim dixit Discipulis: *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terra,* Matth. xxviii. 18. tum omnia pedibus ejus subjecta, & ipse Rex ac Dominus omnium constitutus est, ubi adhuc regnat, donec tandem in extremo die omnibus suis & Ecclesiae suae hostibus abolitis regnum illud plenè & perfectè exercebit.

QVÆSTIO XXXII.

Cur verò tu Christianus appellaris? Resp. Quod per fidem membrum sum Jesu Christi, & unctionis ipsius particeps, ut & nomen ejus confitear, meq; sistam ipsi vivam gratitudinis hostiam, & in hac vita contra peccatum & Satanam liberè & bonà conscientia pugnem, & postea æternum cum Christo regnum in omnes creaturas teneam.

1. Christiani olim illi dicti habitiq; sunt, qui Christo in baptismo nomen dederant, eiq; verà & non fucata fide adhærebant, ut ab aliis, qui se itidem discipulos ac sectatores Christi mentiebantur, tantò rectius distingui possent. Quam causam ipse Athanasius Apol. contra Arium his verbis explicat: *Omnes, qui credebant in Domino nostro Jesu Christo, non Christiani, sed Discipuli tantummodò vocabantur. Et quia multi novorum dogmatum autores extiterant, doctrinae obviante Apostolica, omnes sectatores Discipulos suos nominabant, nec ulla erat nominis discretio inter veros & falsos Discipulos, sive Christi sive Dosthei, sive Jude cujusdam, sive Johannis sectatores, qui se quasi Christi Ecclesie fatebantur, quin potius uno Discipulorum nomine ferebantur: Tunc Apostoli convenientes Antiochie (sicut horum Lucà narrante, Acta testantur) omnes Discipulos uno nomine,*

hoc

hoc est, Christianos appellant, discernentes à communi Discipulorum vocabulo, & ut divini per Esaiam oraculi sermo compleretur, quo ait: Servientibus mihi vocabitur nomen novum. Hanc ergò ab Apostolis traditam de novis utentis nominibus formam Ecclesiæ tenens contra diversos hæreticos, (ut sanæ fidei ratio postulat) diversas edidit nominum novitates. Quod nomen tamen hæretici quoque postea sibi vendicarunt, vel quòd vim ejus ignorarent, qui per imperitiam Christianus pronunciabant, ut Tertullianus & Lactantius referunt, vel ut ipsi quoque sub præclaro isto nomine, velut tegmine quodam laterent, vel denique ut eo pacto Christianorum professioni invidiam conflarent, eiq; de suis dogmatibus tetrum atq; impurum quid allinerent, quod Carpocratianos fecisse Epiphanius hæret. xxvii. auctor est.

II. Non satis autem scio, annon Calviniani hæreticos illos imitentur, qui & ipsi nomen Christianorum sibi arrogant, sed vim ejus negant, adeò quidem, ut quod Augustinus alicubi Donatistis occinebat, *Christianos vos dicitis, & Christo contradicitis*, non minùs in ipsos competat, quippe qui Christo verbis ac factis contradicunt; Quod enim ille de persona, Baptismo, Cœnâ, prædestinatione, fide, promissionibus Evangelicis, & multis aliis fidei articulis docuit, & ad credendum omnibus proposuit, hi non minore audacia, quàm impietate inficiantur, quemadmodum jamdudum ab aliis demonstratum est, & ex hoc ipso examine palàm fiet. Factis autem negare inde constat, quòd à Christi corpore petulanter avulsi membra ejus esse nolint, sed novos cœtus instituunt, peculiare Confessiones edant, & non tantùm animo, sed corpore quoque à verâ Christi Ecclesiâ discedant. *Quid enim est negare factis? Superbire & Schismata facere, non in Deo, sed in homine gloriari. Ita factis negatur Christus, unitatem quippe amat Christus*, ait Augustinus Serm. xxxi. de Verbis Apost. Quare si ille demum Christianus verus est, non qui in propatulo tinctus est, sed qui cum Baptismo præstat fidem & obedientiam, ut Paræus loquitur in Rom. ii. 29. Calviniani certè veri Christiani non

Aaa

sunt,

57
sunt, neque enim fidem, neque obedientiam Deo in baptismo stipulatam præstare solent. Et quanquam ut nominis, ita unctiois quoque ejusdem participes se, & per fidem eidem unitos esse, ac tùm in hac vita contra peccatum & Satanam depugnare, tùm in alterâ cum Christo capite suo regnatos & creaturis in æternum dominatos sibi persuadeant, vanissima tamen ea persuasio est, nec tale quid ipsis verè competit, aut demonstrari potest.

III. Ab his nominibus, Jesu & Christi seu uncti, Filio Dei attributis, ad sequentia Catechetæ progrediuntur, ubi idem *Filius Dei unigenitus* appellatur, & ita porro quærunt.

QVÆSTIO XXXIII.

Quam ob causam Christus vocatur Filius DEI unigenitus, cum nos quoque simus Filij DEI? Resp. Quia solus Christus est coæternus & naturalis æterni Patris Filius; nos autem propter eum ex gratia adoptati sumus.

I. Cùm multa alia nomina Filio Dei in Scripturis tribuantur, illud tamen *Filij* præcipuum est, & absolutè ei imponitur, ut facile appareat, ei soli propriè competere & proprietatem personæ ejusq; distinctionem à Patre denotare: Qui enim eo modò à Deo productus est, quo filii à parentibus suis propagantur, non potest esse factus aut creatus, sed genitus, prætereà non idem quid ac Pater est, cum nemo se ipsum gignere rectè dicatur, denique nec totâ suâ naturâ ab eo distingvi potest; sic enim filii appellationem non meretur. Vocatur autem Filius ob æternam à patre processionem, quæ in Scripturis generationis nomen accepit, unde fit, ut sicut in humanis pater filium ejusdem naturæ & essentiæ generat, ita in divinis quoque pater ex suâ substantiâ filium producat, qui eandem cum ipso naturam habeat, cum generatio nihil aliud denoret, quàm viventis à vivente productionem secundum naturæ similitudinem, ut Thomas definit in 1. p. q. xxvii. art. ii. Ubi tamen ut in aliis, ita hîc etiam, quando res naturales divinis applicamus, quæ imperfectionis sunt & rebus creatis
cotru-

corruptioni; obnoxiiis competunt, remove oportet, & tantum ad ea, quae perfectionem notant, rei; ἕκαστη sunt, attendere. Non igitur novum filium per generationem producit Deus, ut existere demum incipiat, qui ante non erat, nec vel partem substantiae, vel similem tantum communicat, quae sunt conditiones singulares unius generationis & in certa tantum specie, à quibus communior quaedam & simplicior notio secernenda, & id quod generationi essentiale est, retinendum. Hujus verò generationis tres cum primis conditiones recenseri solent, quarum prima est, ut sit ex producentis substantia, altera, ut id, quod producitur similis naturae & substantiae existat, tertia demum, ut à principio conjuncto oriatur, quae omnes DEO quoque & verbi divini generationi competunt. Ac primò quidem Filius DEI ex naturâ & substantiâ Patris genitus est, ut sit lumen de lumine, DEUS verus de DEO vero, : neque enim extrinsecus & adventitius est, sicut res creatæ omnes à DEO productæ sunt per creationem aut aliam aliquam effectiorem, sed ex ipsâ ejus substantiâ emanat: Unde Scriptura non tantum gignendi & generationis vocabulis utitur, sed id etiam addere videtur, quod ex generatione animantium desumptum est, dum *ex utero* filium à Patre genitum esse testatur Ps. cx. 3. quae omnia filium ex substantiâ patris genitum esse ostendunt; quod enim hoc modo nascitur, id ex generantis substantia oritur. Nec minus etiam altera conditio hîc locum habet, & filius ejusdem naturæ ac essentiae est cum Patre: nam quia naturalis generatio naturæ ipsius communicatio est, nec tamen alterius aut diversæ, sed ejusdem, quæ est in generante, necessum est id, quod à DEO patre verè gignitur, non aliam, aut similem tantum, ut in aliis generationis speciebus usu venire solet, sed eandem prorsus, & ipsam illam naturam habere, quam pater habet: Quod inde patet, tum quia Filius non est DEUS à patre distinctus, sed idem ille numero DEUS, qui est pater, tum quia sic à Patre procedit, ut tamen intra essentiam ejus maneat & subsistat, sicut ipse docet, Joh. xiv. II. *Credite mihi, quod ego in Patre sum,*

Et Pater in me est. Atque hinc de tertiâ conditione patet, quæ principium aliquod conjunctum & debito modo approximatum requirit, unde fit, ut ipsa generantis substantia, saltem aliquâ sui parte in genitum derivetur. Ex quibus omnibus illud tandem colligitur, generationem, quæ de DEO prædicatur, non tantum veram esse, sed multo etiam, quam in rebus creatis perfectiorem & appellatione isthac digniorem, in qua omnia ea, quæ ad generationem propriè dictam necessaria sunt, reperiuntur, & eum qui ita nascitur, longè rectius, quam ullum alium ex creaturis, Filium appellandum esse.

II. Non tantum autem simpliciter Filius, sed cum additamento *verus DEI Filius* dicitur. Johannes enim Apostolus in primâ Canonica cap. v. 20. *Scimus, ait, quoniam Filius DEI venit, Et dedit nobis sensum, ut cognoscamus DEum verum, Et sumus in vero filio ejus.* Ita enim vulgatus legit, cui Basilus lib. iv. contra Eunom. Cyrill. Dial. iii. de Trinit. Hilarius l. vi. Augustinus lib. ii. contra Maxim. cap. v. & vi. aliiq; suffragantur, pro quo in græcis hodiernis codicibus legitur *ηγὴ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ χριστῷ, Et sumus in vero illo, in Filio ejus Jesu Christo.* Quæ lectio tamen cum prior eodem recidit; nam & verba illa, *in Filio ejus*, ad *verum* referuntur, idq; declarant, & sicut DEUS ibi verus dicitur, ita & filius æquè verus recte appellatur. Ex quo illud sequitur, longè alio sensu Filium DEI vocari, quam homines interdum nominari consueverunt, etsi enim & hi Filii, interdum etiam DEI Filii, nunquam tamen veri DEI filii nuncupantur. Nec minor vis est in voce proprii, quam Apostolus adhibet Rom. viii. 32. *DEUS proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Proprius enim Filius dici non potest, qui ex gignentis substantiâ productus non est, nec ejusdem naturæ particeps factus. Item cum unigenitus dicitur Joh. iii. 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Quod etiam *1. 18. cap. 1. 18. 1. Joh. iv. 9.* repetitur. Si autem ipse est unigenitus DEI Filius, verè à Patre genitum, non creatum aut factum, nec alium præter eum à Patre genitum esse oportet. Unigenitus enim

enim propriè non dicitur, nisi qui solus vel ex utroque, vel ex altero parente natus est, quemadmodum unica Jephthe filia *Ἰουθάρειου μονογενὴς* appellatur. Tandem & naturalis & Patri coæternus est; qui enim naturam & substantiam patris mediante productione generationis accepit, is propriè filius naturalis est, & qui ejusdem naturæ ac essentiæ cum patre est, æquè æternus sit atque ille est, necesse est, cùm relata sint simul, & uno posito non possit non alterum poni. Unde nunc quantum inter homines, angelosvè, aut alias creaturas & ipsum Dei filium intersit, facilè colligere licet, quod etsi nonnunquam illis quoque Filiorum DEI nomen tribuitur, ipse solus tamen verus, & naturalis DEI filius, & à DEO Patre genitus, & quidem unigenitus, ipsi in omnibus æqualis sit, & nomen hoc præ reliquis omnibus propriè, imò & *μονογενὴς* sibi vendicet, creaturæ verò vel ex creatione illud trahant, vel fide in hac vita, & adoptione, in futurâ autem DEI benignitate ejus participes fiant, creaturarum tamen ordinem ac conditionem non excedant.

III. Hanc Orthodoxam de Filio DEI ejusq; æternâ generatione doctrinam, ex Scripturâ ipsâ petitam, Calviniani nonnulli prorsus evertunt, ceteri verò non parùm labefactant: Primò enim generationem Filii DEI metaphoricam esse Moltherus Marpurgi dixit, quod cum Menzerus noster Exeg. ad art. i. August. Confess. cap. vii. n. vii. atro carbone notasset, Johannes Crocius defendere quidem conatus est, sed admodùm infeliciter, ut ex responsione ejusdem Menzeri ad defens. ii. part. Conv. Prutenic. cap. iii. liquet. Neque tamen solus Moltherus ita docuit, sed diu ante ipsum Lambert. Danaus Resp. ad T. ii. Bellarm. lib. ii. de Christo cap. xxvi. Filii ex Patre, itemque Spiritus sancti ex Patre & Filio emanationem vocabulis generationis, nativitatis, spirationis translaticiâ significatione, non propriâ & naturali usurpatis describi statuit. Quæ sententia tam absurda est, ut ipsis eorum locis nunc displiceat. Altingius enim part. i. probl. xi. generationem Filii à Patre propriam esse, non metaphoricam duobus argu-

mentis probat. 1. *Quia filius est proprius Rom. 8. 32. ergò etiam propria generatio.* 2. *generatio est communicatio vitæ subsistentis, per quam Filius est unum cum Patre & ei æquatur Job. 5. 26. cap. 10. 30. ergò Patet ex definitione generationis. Cui autem definitio, eidem & definitum convenit.* Hactenus Altingius, & rectè quidem: Si enim generatio propria non est, sed metaphorica tantum & figurata, similem quoque filium, hoc est, non proprium, sed metaphoricum inde productum esse oportet: Cui enim non competit generatio propria & propriè dicta, ei nec filiatio propriè tribuenda erit. Contra ea verò qualis est filius, talis etiam generatio statuenda, nam filiatio in generatione fundatur, & inde denominationem suam accipit: Filius autem Dei verus & proprius est, ergò & propria generatio fuerit. Imò non vera tantum & propria est generatio isthæc, sed longè etiam verior & perfectior est in Deo, magisq; propriè quàm in nobis, tum quia Deus filium sibi consubstantialem generat, cui etiam totam essentiam suam, non partem aliquam, nec specie tantum eandem, numero autem distinctam, uti in rebus humanis fieri consuevit, sed ipsam illam, quam ipse habet, communicat: tum quod nomina illa paternitatis, filiationis, processionis & similia non à nobis ad Deum, sed inde ad nos primò traducta sunt, quod Damascenus etiam lib. 1. O. F. cap. ix. ex Eph. iii. 14. ostendit, *Ex quo (Patre) omnis paternitas in cælo & in terra:* Cui Thomas ad stipulatur p. 1. q. xxxiii. art. ii. cum ita ait: *Generatio per prius dicitur de Deo, quàm de Creaturis, quia generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati, & quantò hic fuerit propinquior forma generantis, tantò verior & perfectior est generatio, sicut generatio univoca est perfectior equivoca, nam de ratione generantis est, quòd generet sibi simile secundum formam, unde hoc ipsum, quòd in generatione divina est eadem forma generantis & geniti, in rebus autem creatis non est eadem numero, sed specie tantum, ostendit, quòd generatio per prius sit in divinis.* Accedit & hoc, quòd omnis perfectio magis Deo competat, quàm nobis; & contra, quicquid imperfectum est, id rectè à Deo removeretur: Gene-

rare

rare autem sibi simile perfectio quædam est viventium, unde in Deo quoque & quidem longè rectius statuenda, etsi interim longè diversa ea sit ab humana, quippe quæ corporalis tantum est, & in tempore fit, cum illa sit æterna, & modum rerum corporalium quàm longissimè transcendat. Denique si ulla improprietas locum habere debet, ea oritur vel ex parte Dei, vel ex parte Christi: non illud, nam quicquid Turca & Photiniani afferre solent, ut quod pater uxorem non habeat, quod æquè filiam produxerit & hujusmodi nugæ aliæ, rationis commenta sunt, quæ audiri non debent: Sed nec hoc admittendum, Christus enim verè à patre & ex ejus substantia genitus, adeoque patri suo consubstantialis est. Non potest ergò sine insigni impietate dici generationem filii Dei metaphoricam esse.

IV. Et sanè assertio illa non tantum impia est, sed etiam Arianis veteribus & Photinianis recentioribus manifestò favet: utriq; enim Christum filium Dei, & illi quidem ex nihilo, non ab æterno à Patre & ejus substantia ortum esse contendebant: *Creatum enim & factum esse filium, neque essentiâ Patri similem, neque naturâ verum patris sermonem, neque veram ejus Sapientiam esse, sed per allusionem verbum & sapientiam dici,* quemadmodum Alexander Episcopus Alexandrinus in Epistola ad omnes ubique gentium fideles Arii sententiam exponit, apud Socrat. lib. I. Hist. cap. III. quod Athanasius etiam multis in locis fecit: Hi verò itidem Christum filium Dei, eumq; verum, proprium, unigenitum, denique ex ipsa Patris substantia genitum concedunt, sed *per similitudinem aliquam, quam cum iis habeat, qui ex substantia alicujus generantur, ut ex Socino adv. Bellarm. & Wiekum cap. V. class. III. arg. I. patet: Hæc siquidem demum, inquit, propriè dicta est tum generatio, tum filiatio. --- Hæc autem similitudo duplex esse potest, aut videlicet in ipsa persona, aut in modo existendi. In ipsa persona intelligo, ut quemadmodum ii, qui ex substantia alicujus generantur, similes sunt, & substantiâ & qualitatibus illi, ex quo sunt geniti, sic isti Deo sint similes in iis, quæ Dei sunt propria, cujusmodi*

sunt

sunt sapientia, sanctitas, immortalitas, dominatio &c. In modo autem existendi intelligo, vel quia, ut existerent tales, Dei actio & operatio intervenit illius, ex cuius substantia quis sit generatus, ad hoc, ut ei similis existeret, vel quia ipsum suum esse, seu quod simpliciter extiterint, ex tali Dei actione & operatione habeant, quæ aliquâ ratione actioni & operationi respondeat illius, ex cuius substantia quis generatus, inde habuit, ut existeret. Eadem apud Smalzum quoque & asseclas alios leguntur, qui etsi omnes Christum filium Dei statuunt, non aliter tamen à Patre genitum esse contendunt, si substantiam ejus consideremus, quàm creaturæ ceteræ filii Dei, & ab eodem nati esse dicuntur.

v. Quauquam autem alii Calvinistæ Filium à Patre genitum, & generationem illam propriam esse, deq; Patre ac Filio rectissimè prædicari nobiscum agnoscant, mox tamen ad alterum extremum dilabuntur, & propter generationem illam Filium Patre minorem atq; adeò inæqualem, Patrem verò κατ' ἐξοχλῶ & κατ' ἰσπερχήν DEUM faciunt, quòd Filius ab eo, ceu fonte originem suam habeat: Calvinus enim partim lib. I. Instit. cap. XIII. sect. XXIII. & in explicat perfidiæ Valent. Gentilis, ad prothesin x. nomen DEI κατ' ἐξοχλῶ Patri ascribi docet, quia fons est ac principium Deitatis. Et contra Valentinum: Ingenuè tradimus κατ' ἰσπερχήν, Dei nomen Patri propriè ascribi. Nec aliter Zanchius multis in locis, Sohnius T. II. Exeg. Aug. Conf. Tilenus ad Bell. præf. p. 15, & Polanus lib. III. Synt. cap. x. qui itidem Patrem filio majorem esse ait, ratione generationis, quia Filius à Patre est genitus ut à causâ & principio personæ suæ. Unde & locum illum Joh. XIV. 28. Pater major me est, cum nonnullis Patribus, minùs cautè interdum locutis, de divinâ Filii Dei naturâ exponunt, & Patrem Filio majorem dicunt, ratione principii & originis, seu, ut Græci vocant, causæ, non naturæ, quod ille origo sit ac fons habens divinitatem à se, non ab alio, hic verò non à se, sed à Patre illam obtineat. Quâ assertione denuò Arianis arma subministrantur, quibus adversus Catholicos tantò felicius pugnare queant, certè plus conceditur, quàm necessum est: Si enim ullo pacto Christo
secun-

secundum Deitatem Patre minor statuatur, personarum *ὁμοιο-
σία* & perfectissima æqualitas tollitur, quod Ariani apud Cy-
rill. lib. xi. Thes. quoque inde colligebant, qui ita argumen-
tabantur: *Cum Filius Patrem majorem se esse dicat, consubstantia-
le verò consubstantiali majus esse ratione substantiæ nequeat, non
est ei consubstantialis.* Productio autem illa, seu quod solus Pa-
ter est principium sine principio, Filius autem à Patre tan-
quam à principio, non efficit, ut unus altero major minorve di-
catur: nam & Filius cum Patre est principium producens Spi-
ritum sanctum, & hic ab illo est, tanquam à principio produ-
ctionis suæ, neque tamen aut ille Spiritu sancto propterea ma-
jor, aut hic illo minor rectè dicitur. Per processionem enim
seu generationem origo & distinctio tantum unius personæ
ab aliâ significatur, quod una sit Pater, altera Filius, una gi-
gnat, altera gignatur: Quid enim aliud est filium alicujus esse,
quàm ab eo produci? Et quid rursus est Spiritum sanctum esse,
quàm ab eo spirari & produci? Quia verò Filius & Spiri-
tus sanctus non sunt Dii à Patre distincti, & inferiores, sed i-
dem ille numero Deus, qui est Pater, ejusdem essentiæ, divi-
nitatis & potentiæ, ideò in Deitate ipsa nullum discrimen aut
inæqualitas locum habere potest. Quod Christus ipse testa-
tur, qui etsi Deum Patrem suum, eumq; *proprium* assereret, ni-
hilominùs tamen se ei æqualem pronunciat, Joh. v. 18. Non
obstante ergò generatione Filius Patri æqualis est & manet.
Quicumque verò ullam prærogativam Patri præ Filio tribuit,
sine omni dubio in Arianorum castra concedit. Unde Cha-
mier ipse T. II. lib. VII. cap. VII. n. XIX. *Quicumq; filium, inquit,
etiam incarnatum ὁμοιωσ, id est, secundum naturam divinam,
Patre asserit esse minorem, aut ministrum Patris, is verè Arianus est.*
Patrum quorundam explicatio durior & subtilior est, quàm
verior, & à reliquis manifestè improbata: Athanasius enim in
Symbolo ita credere jubet: *Filius est æqualis Patri secundum di-
vinitatem, minor patre secundum humanitatem.* Et Chemnit-
noster T. I. loc. I. artic. II. de Hilario & Nazianz. ait, eos *affer-
resolutionem, quæ & subtilior est, & nimium recedit à subtilitate*

fidei, Patrem scilicet esse majorem Filio, etiam secundum divinitatem, propter auctoritatem principij, quia solus à Patre habet, ut sit Deus, non vicissim Pater à Filio. Ubi Athanasii dictum quoque laudat, & id insuper addit, non posse illud de Christo intelligi secundum eam naturam, quæ fuit ante incarnationem: idem enim respectu ejusdem simul æquale & inæquale esse non posse.

VI. Ostensum autem supra quoque est, Christum Filium DEI appellari ob generationem, quod ab æterno ex ipsâ DEI Patris essentia genitus, & ejusdem cum illo naturæ particeps factus fuit: quanquam enim secundum humanam naturam, seu ut homo ab æterno genitus non fuerit, secus enim ipse quoque naturaliter æternus foret, & ante nativitatem ex Mariâ matre extitisset, propter personæ tamen identitatem quod de Filio DEI Patris dicitur, id etiam de Filio Mariæ verè prædicari debet. Calvinus autem, uti sæpè aliàs, ita hic quoque mirificum egit Scripturæ interpretem: Cùm enim Angelus ad Mariam diceret: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, Luc. 1. 35. ipse in hæc verba ita commentatur: *Docet Angelus, Christum oportere absque viri & mulieris coitu nasci, ut sit sanctus, & DEI Filius, id est, ut sanctitate & gloria super omnes creaturas excellat, neq; teneat communem inter homines gradum. Et paulò post iterum: Filij DEI nomen, sicut divinæ Christi essentia ab æterno proprium fuit, ita nunc conjunctim in utramque simul competit naturam, quia areana & cœlestis generationis ratio eum à vulgari hominum actione exemit. Calvinus igitur Christum ideò Filium DEI esse ait, quod per arcanam & cœlestis generationis rationem à vulgari hominum consortio exemptus sit, & ideò absque viri & mulieris coitu natum, ut demum sanctus & DEI filius existeret. Quam sententiam alii quoque certatim sequuntur. Zanchii verba part. II. lib. I. de tribus Elohim cap. III. hæc sunt: *Deus est Pater Christi, quatenus Christus ut homo conceptus ex Spiritu sancto, Filius DEI Patris appellatur. Et lib. II. cap. VI. Angelus significat, quamobrem*
Christus*

Christus, quatenus etiam homo est, futurus esset filius DEi, quia scilicet concipiendus erat de Spiritu sancto. Eodem modo etiam Jacobus ad Portum in def. fidei cap. xxiii. Filiationis causam primam & propriam respectu Naturæ Christi humanæ præter unionis gratiam esse etiam dicit sanctificationem, quâ singulari ratione in utero virginis conceptus, ex eâ genitus est. Sed disertissimè omnium Ursinus in hunc locum, cujus verba approbat & sua quòque fecit Paræus: Per gratiam conceptionis è Spiritu S. & unionis cum λόγῳ Filus DEi est solus Christus secundum humanam naturam, quia secundum hanc fuit filius DEi per gratiam statim eo momento, quo cepit homo esse & nasci, idq; ideò, quia virtute Spiritus sancti solus ab omni labe purus ex virginis substantiâ natus est, & personaliter cum λόγῳ unitus. Et iterum: Ex his patet manifestè, tum, quomodo nos filii DEi simus, nempe adoptione, tum quomodo Christus filius Dei sit unigenitus, nempe dupliciter, 1. secundum divinitatem suam, quia secundum hanc genitus est ab æterno de Patris essentia. 2. secundum humanitatem aliquatenus, quia etiam secundum hanc tali modo est genitus, quali nunquam quisquam alius, ex virgine nimirum incorrupta, ut Spiritus sancti. Ut de Pierio, Crocio, Massonio aliisq; nihil nunc dicam.

vii. Quanquam autem Filium DEi à Spiritu sancto conceptum atque à Maria genitum esse nemo inficias iverit, quod Angelus disertis verbis adstruebat, ex illâ conceptione tamen & nativitate neutriquam habet, quod sit Filius DEi: nam i. ut quis alicujus filius propriè sit & dicatur, non habet aliud, quàm ex generatione, quemadmodum ó λογῶν ideò DEi Filius appellatur, quod à DEO Patre & de ejus substantia genitus est, quo ipse ab iis discriminatur, qui ab alio geniti, ab alio verò liberè ex gratia electi & in familiam adsciti priorum instar habentur, unde & adoptivi & adscititii appellantur. Conceptio verò ex Spiritu sancto non est vera generatio, neque enim est ex substantia gignentis aut producentis, sed externa tantum effectio, quæ non tantum Spiritui sancto, sed Patri quoque & Filio secundum divinam naturam rectè tribuitur, nec in ordinariâ, sed extraordinariâ prorsus actione, per

solam diviam potentiam perpetranda consistebat. Quæ causa etiam est, quod Spiritus sanctus pater Christi appellari nequeat, sed vel creator dicendus, vel alio aliquo nomine afficiendus: Aut si ille Christi Pater rectè dicitur, eodem modo & Pater, imò Filius seu secunda Trinitatis persona sui ipsius pater haud absurdè appellandus fuerit, quod inauditum est, & prorsus ἀδελόλογον. II. Ideò in utero matris suæ Spiritus sancti operatione conceptus est, non ut fieret filius DEI, id enim ut λογος ex æterna generatione habet, ut homo verò ex unione personali, sed ut fieret verus homo, quemadmodum Joh. I. 14. dicitur, *Verbum caro factum est*. Sicut ergò æternus DEI Filius ab æterno fuit ante omnem incarnationem & conceptionem ex Spiritu sancto, ita idem tum verus homo factus est, cū ex Spiritu sancto conceptus & ex Maria virgine natus est, ut autem idem ille, qui ex Maria natus est, simul filius DEI fieret ac verè esset, id ex unione personali accepit. III. Quod si autem omninò Christus, quā homo, ea ratione dicendus est filius DEI, quod à Spiritu sancto virtute supernaturali in utero virginis conceptus & à Mariā matre in lucem editus est, dupliciter ille filii titulo afficiendus & duo filii constituendi fuerint, unus naturalis & propriè dictus, qui genitus & ex ipsa substantia propagatus est, alter adoptivus, communi cum cæteris hominibus, si genus spectes, etsi potiori & insigniori titulo honestatus, quod Nestorius olim, & post eum Felix & Eupandus contenderunt, qui & ipsi duos in eodem Filios statuerunt, etsi idem fraudulenter tegerent: duas enim naturas in una persona consociatas profitebantur, ut re ipsa totidem, quot naturæ sunt, personas inesse crederent. IV. Denique si nullum aliud argumentum suppeteret, id sufficere poterat, quod hac ratione Maria virgo Ἰστορία amplius non existat, aut verè proprièq; talis amplius nominari non possit, quemadmodum antiqui patres contra Nestorium rectè argumentati sunt, imprimis Paullinus Aquileiensis apud Alcuin. *Si nuncupativum, & non verum DEum ex utero vera mater genuit, illum videlicet eundemque, qui ante Luciferum ex paterno utero, hoc est, ex Pa-*

ex Patris essentia sine initio genitus, permanens id semper, quod erat, quomodo vera Dei genetrix beata Virgo omnium Catholicorum verissimo confitebitur ore? Fateantur necesse est hæretici eam nuncupativam genetricem, si nuncupativè ab eis putabitur genetrix prolis. Catholica verò atq; Apostolica fides verū Deum verumq; qui natus est, hominem, veramq; quæ genuit genetricem, non duos, sed unum, verum propriumq; Dei filium, nec duos, sed unū verumq; Deum Jesum Christum Dominum nostrum & confessa est & confitetur, & æterna confitebitur perpetuitate. Et ita cæteri, tam qui ante Nestorianam hæresin exorti, quàm qui postea adversus eandem & contra Felicem ac Elipandum scripserunt, statuentes, si Maria talem filium genuit, qui propter conceptionem ex Spiritu sancto DEUS tantum sit, eatenus illam verum Deum non genuisse, nec verè Θεοτόκον esse.

VIII. Non tantum verò Patres, sed adversarii ipsi adversis frontibus inter se concurrentes, cum rem rectè putant, idem sentiunt, ex quibus duos tantum adducam, qui socios suos hac in re apertè redargunt. Audiatur ergò, si placet, Johannes Maccovius in Collegio Theologico, Franckeræ quidem Anno MDLXXII. habito, sed anno MDLXXI. recuso, Disp. IV. thes. XXXVIII. *Adversarij nobis hæc varia objiciunt, & 1. hoc, quod Christus vocatur Filius Dei, quia conceptus sit ex Spiritu sancto, ut docetur Luc. 1. 35.* Adversariorum ergò seu Photinianorum dicit esse exceptionem hanc, quæ eadem est cum sociorum cavillatione, ad quam Thesi sequenti ita respondet, ut & illos redarguat, & nostram sententiam manifestè adstruat. Ita enim pergit: *Respondemus verbis D. Piscatoris, sic autem ille primo opusculo contra Vorstium p. 180. In his verbis, loquitur autem de verbis Gabrielis Archangeli, quæ extant v. 35. conjunctio uq; adjuncta adverbio diò est nota paris, & notat parem veritatem consequentis cum antecedente enthymematis, quasi dicat Angelus: Quàm verum hoc est, concepturã ex singulari operatione Spiritus sancti, ac proinde virginem, tam etiam verum est, filium illum, quem sic conceptura & paritura es, fore filium DEI: Si quæras, quæ sit ratio consequentia, dico illam esse prophetiam, quæ extat Esa. 7. 17. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen*

ejus Immanuel, hoc est, nobiscum Deus, quibus utrumque, predicatur, scilicet Christum, & fore filium Virginis & Deum, nempe Filium Dei, ac proinde addit, non rectè exponi hunc locum ab iis, qui conjunctionem etiam referunt ad naturam humanam, à filio Dei personaliter assumptam, quasi Angelus innuere voluerit, Filium Mariæ vocatum iri filium altissimi, hoc est, Dei patris non solum propterea, quod è substantia altissimi, hoc est, Dei Patris sit ab aeterno genitus, sed etiam propterea, quod ejus corpus è substantiâ Mariæ per singularem operationem Spiritus sancti sit creandum. At Angelus talem antithesin aut collationem hinc nullam instituit, sed ad prophetiam Esaie respicit, atque inde argumentum de nomine atque persona Filij nascituri deducit: apparet id ex collatione etiam eorum, quæ narrat Matthæus cap. 1. v. 20. 21. 22. 23. Cum enim recitasset verba angeli ad Josephum dicentis, id quod ex Mariâ genitum sit, ex Spiritu sancto esse, & ipsam parituram filium, cujus nomen vocare debeat Jesum, subjungit Evangelista, totum hoc esse factum, ut impleretur prophetia illa Esaie cap. 7. Hactenus Piscator, & ex ipso Maccovius, qui illius verba adducit, & Christum ideò Filium Dei dici negat, quod ex Spiritu sancto miraculosè sit conceptus. Sibrandus Lubbertus quoque ad xcix. errores Vorstii Jesum Christum secundum utramque naturam naturalem Dei filium dici concedit. Et iterum: Cum Christus dicitur secundum naturam humanam naturalis Dei filius perinde est, ac si dicas, Jesum Christum esse filium Dei natum, vel ab ipsâ nativitate esse Dei filium. Ubi quidem modum & causam non exprimit, propter quâ ab ipsâ nativitate filius Dei appelletur, credit tamen Christum secundum humanam naturam esse naturalem & perfectum Dei filium, qualis ob conceptionem ex Spiritu sancto dici non potest, sed unicè per & propter unionem personalem.

ix. Cum igitur Spiritus sanctus in Christi conceptione non ἀεργαλῆκως, sed ἀνεργηκῶς, ἢ ἀπὸ συνστάσεως, ἀλλὰ ἀπὸ δύναμεως, ut Græci Patres, & ex illis Latini quidam loquuntur, egerit, nec naturam humanam generarit, sed crearit ac sanctificarit, ideò propter hanc actionem nec Spiritus sanctus Christi pater, nec Christus Dei aut Spiritus sancti filius rectè vocabitur. Augustinus Serm. vi. de Temp. Christus non de substantia


Spiritus

Spiritus sancti, sed de potentia; nec de generatione, sed benedictione conceptus est. Et Alcuinus lib. III. de Trinit. cap. III. Non concedendum est, ait, quicquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei esse filium nuncupandum: Ut de multis exemplis hoc proferam, certe, qui nascitur ex aqua & Spiritu sancto, neq; filios eos recte quisquam dixerit aquæ, ut Spiritus sancti, sed plane dicuntur Filij Dei patris & matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu sancto natus est Filius Dei patris, & non Spiritus sancti: Si enim Filius diceretur Spiritus sancti Christus secundum humanitatem, duo patres essent in S. Trinitate, & Deus homo factus, duos habuisset Patres, unum divinitatis, alterum humanitatis, sed quis hoc dicere audebit? Item Hugo Etherianus T. III. Bibl. Patr. Non est Christi pater Spiritus S., quia non ex eo est, tanquam ex Patre, sed ut ex eo, qui preparavit materum secundum consubstantiali verbo, carnemq; condidit absque lege commixtionis, divino prorsus & ineffabili modo, quo fit, ut non Spiritus sancti filius, sed sanctissimæ virginis secundum naturam existat. Attribuitur autem hujusmodi opus Spiritui propter sanctitudinem, --- imò etiam propter summam bonitatem, amorem & gratiam. Incarnatio enim summæ bonitatis opus est, summi amoris, summæq; gratiæ atq; donum maximum. Sicut ergo generatio æterna efficit, ut λόγος sit & dicatur Filius Dei, ita conceptio ex Spiritu sancto & nativitas ex Mariâ virgine facit, ut idem sit filius Mariæ, unio verò hypostatica, ut idem, qui est Filius Dei, & filius Mariæ, non geminus, unus Dei, alter Mariæ filius, sed unicus sit, & qui est Filius Dei ab æterno genitus, Mariæ autem Filius ex Spiritu S. miraculosâ operatione conceptus, sit una eademq; persona. Quod ut tantò rectius intelligatur, non pigebit aliis, & si fieri potest, clarioribus verbis rem eandem exponere. Scilicet Christus juxta divinam naturam ab æterno ex patris essentia genitus, & sic naturâ Dei filius est, non propter ullam cum carne hypostaticam unionem. Idem quoq; juxta humanam naturam filius hominis naturâ suâ est, ex matre Maria in plenitudine temporis natus, sed neq; id propter unionem personalem. Interim qui est Mariæ filius secundum humanam naturam, idem per & propter illam unionem hypostaticam est simul verus Dei Filius in unitate personæ. Mariæ ergo filius non ideò Dei filius est, quod secundum humanam naturam ab æterno ex Patre genitus est,

est,

est, (id enim falsum esse inde constat, quod ea in tempore demū & quidem in utero Mariæ existere cepit) aut in tempore ex Spiritu Sancti obumbratione conceptus & ex Matre natus, (inde enim & ideò non Dei, sed hominis filius est) verū quia natura humana assumpta est, & nunc in eā ipsa personā, quæ ab æterno genita est, subsistit. Rursus autem Filius Dei non inde ac ideò Mariæ filius est ac dicitur, quod divinitas ex Maria nata sit, (hæc enim æterna est, & ante Mariam existit) sed quòd ipse Dei filius in humanitate personaliter sibi unita & copulata verus homo in utero Mariæ concipi, & ex ea nasci voluit.

x. Tandem verò illi quoq; Christum unigenitum Dei filium negant, qui eum ex patris essentia seu substantiā genitum esse inficiantur, quod faciunt Junius adv. Gratian. Sohnius in Exeg. Keck. in System. Theologico, quorum sententiam Tilenus in not. ad lib. i. Bellarm. de Christo cap. ix. ita exponit: *Commodior est locutio, cum dicimus Patrem genuisse vel produxisse filium in substantia vel essentia, quàm ex substantia, ne videlicet duas substantias vel essentias quis imaginetur, unam producentem, alteram productam.* Frustra autem commodior locutio jactatur, aut metuitur, ne dum Filius ex ipsā Patris substantia ab æterno genitus, a deoq; patri suo consubstantialis dicitur, duæ propterea substantiæ introducantur: nec enim Filius ita à patre gignitur, ut aut nova substantia producat, aut res, quæ producitur, extra principium suum transeat, sicut calor ignis ex igne oritur, & in ligno recipitur, sed ut intra rem, ex qua oritur, maneat, sicut ex intellectu nostro intellectio & omnis animi conceptus oritur, nec minus tamen in ipso intellectu manet. Accedit & hoc, quod essentia divina infinita tota, & absque sui vel multiplicatione vel divisione communicari & in tribus personis realiter invicem distinctis subsistere possit. Sed facile intelligitur tamen, quorsum homines illi assertionem isthac tendant, cum idem Keckerm. Syst. Theol. p. 63. ipsam essentia divinam personis communicari posse negat. Quod si autem Pater essentiam suam filio per æternam generationem communicare nequit, certè nec Pater filii pater, nec hic patri consubstantialis, aut verè ab eo genitus, multò minus unigenitus Dei filius dici poterit.



05 A 955


ULB Halle 3
003 761 592


VDTA

6U,







18c
6

Q. B. V. D.
DISPUTATIO THEOLOGICA

De
CHRISTO

QUÆSTIONIBUS XXXI. XXXII. XXXIII.
CATECHISMI PALATINI
OPPOSITA

ATQVE
SUB MODERAMINE SPIRITUS SANCTI
ad placidum Eruditorum examen
PROPOSITA

PRÆSIDE
V I R O
MAXIME REVERENDO, MAGNIFICO ATQVE
EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNES MEISNERO,
SS. Theol. D. & in Illustr. Albina Prof. P. Fami-
geratissimo, Templi Cathedralis Præposito vigilan-
tissimo, Collegii Theologici Seniore venerando
& Alumnorum Electoralium Ephoro
gravissimo.

In Auditorio Majori.
DIE V. JUNII. A. O. R. MDCLXII.

A
M. MICHAELE HENZESHEEN
WITTEBERGENSI SAXONE.

WITTEBERGÆ

Excudebat MICHAEL Wendt.